

54  
229  
*LAUDATISSIMIS SPONSIS*  
**MICHAELI RINGELTAVBIO,**  
*SACRORVM ANTISTITI,*  
ITEM QV<sup>E</sup>  
**BARBARÆ SCHIRMERIÆ,**  
*PIETATI ET GRATIARVM*  
*DOTIBVS INNIXÆ,*  
*RELIGIOSE ET PROLIXO AFFECTV.*  
LL. M. V. S.  
**PAVLVS PATER.**



*THORVNII,*  
Typis expressit JOANN. BALTHASAR BRESLER.  
D. XIII. IXBR. M DC XC. 1790



Vanquam vita hominum, RINGEL-TAVBI CLARISSIME, variis casibus & molestiis sit obnoxia, tamen ætas quævis difficultates omnes facile superabit, si virtutum reginam CONSTANTIAM semper comitem sibi adiunxerit. Divina certe res est NON MOVERI, & contra liventes fortuna impetus, invicto animo stare in acie. cumque ad calamitatem nati simus, dare nobis, quæ non accepimus. Docuerunt hoc olim in Stoa & porticu philosophi: his conditionem Numinis invaserunt, & mortalitatis leges cum divinitatè proxime coniunxerunt. Hec dum affero, nolim quemquam ita ignarum esse, ut etiam affectum, a quo nomen accepit exuere, humana & citeriora omnia fortunæ denegare velit casibus. Te spectant utraque hæc, SPONSE DOCTISSIME, patere modo signatus ea evolvam. Dilectissimam tori & vitæ sociam, paucis ab hinc annis amisisti. Dispendum quidem triste, sed commune Tibi cum cæteris, æterna quippe lex: nasci, denasci, oriri, aboriri. illud vere tuum, abiturienti in cœlestem patriam, ubi nunc æterna felicitate perfruitur, præter mariti boni officia, viam illi, digito velut intento, quod demonstraveris. Vix a simplici luctu hoc spiritum receperas, ecce geminus animum tuum frangere, & perpetuo

petuo afflictare visus fuit, dum castissimam filiarum  
bigam, fœminas raro exemplo insigne, in ipso flore,  
acerbo funere extinctas, cum maritis earum, luxeras.  
Bone D E V S, quanta animi constantia exemplo tuo  
demonstrasti, quæ viva voce, pro rostris. & ambone  
sacro commendasti! O rem miram, quanta fortitudi-  
ne atratus ipse, cum viduis mœstissimis, amicorum  
agmen duxisti! Secutus est paulo post atrox morbus,  
qvo divino humanoque consilio tandem depulso, mox  
gravis Te cura, de recta filiæ natu minimæ educatione  
confecit. Quid dicam de illius studiorum ratione,  
a qvo Res publica & Ecclesia virtutes tuas aliquando  
expectat, ut non modo in illa Civitate, quæ ex pacto  
altera mihi facta est patria, ab ipso Sigismundo Impe-  
ratore primæ magnitudinis fidus, morumque statera-  
dicta. sed nunc porro, in vicino proxime opibus abun-  
dantissimo Opido, totius Orbis compendium Geographi  
quod dicunt, sub maximorum & illustrium virorum  
auspicio felix decurreret. idque longe alio ut fine, sic  
fructu, quam nostrates adolescentes incauti, etate lu-  
brici, ore infantes, eruditione inopes, moribus rudes,  
qui cruda adhuc & imperfecta studia, in Academi-  
am propellunt. Sed omnibus incommodis & ingru-  
entibus malis, præsentि hac die validissime succurritur,  
dum minime ignava virtuti insinuandæ Magistra,  
in cura-

103054

M  
B  
Ty  
in curarum partem, divinitus Tibi traditur. Me-  
rebatur hoc ipsum pietas tua in DEVM, singularis  
innocentia, insueta plane in egenos musarum cultores,  
eorumque doctores liberalitas & beneficentia. imo vi-  
ta omnis, ad exempli formam exacta, merebatur.  
Nolo hic invidiose SPONSÆ genus multis celebra-  
re elogiis: sufficit neminem fugere, maiores eius, ali-  
quot retro seculis, meritis exstissem in Rempublicam  
clarissimos, & inter precipua huius Civitatis lumina  
resplenduisse. Sufficit, in torum te adscivisse vir-  
ginem, morum sanctitate & simplicitate, procul seculi  
pompa & colore, undequaque adspersam, tam religio-  
so & venerando viro dignissimam. Sufficit, illam  
Tibi SPONSAM obvenisse tandem, quam bene diu  
toto pectore desiderasti. Euge! euge! latus ambobus  
in amphoram fluat autumnus, & perpetua prosperita-  
tis, amoris & concordiae fructus edat uberrimos.

